DEMOSTRATIO

JURIS, QUOD HABET PROVINCIA IMMACULATÆ Conceptionis Discalceatorum in Nova Castella, à Provincia S. Joseph divisa; ut ex antiqua aliqui dismembrentur de novo Conventus, & inter illos unus ex duobus Matriti, & novæ aggregentur: vel si hoc renuat Prouincia S. Joseph, hæc teneatur reunionem admittere cum justis conditionibus postea proponendis.

HUMILITER SUPPLICAT

PRÆDICTA NOVA PROVINCIA REVERENDISSIMO Rectissimoque Definitorio Generali, ut justa petita in memoriali ejusdem Provinciæ, suum Decretum, visis hic videndis, dignetur expedire.

§. I.

PRÆPONITUR FACTUM DIVISIONIS.

1. ABS dubio noticia rei, de qua agitur, maximè expedit, ut rectum de ea fiat judicium, (1) cum ex ea pendeat juris dispositio: quapropter facti expressio videtur necessaria. Factum ergo divisionis, erectionisque hujus novæ Prouinciæ fuit hujusmodi:

2. Anno igitur 1744. Minister Provincialis Prov. S. Joseph, una cum suo Definitorio, & Patre uno Provinciæ ejus divisionem decreverunt; assignando novem tantum Conventus, ut alia Provincia erigeretur. De sua determinatione Rmum. P. N. Ministrum Generalem Fratrem Raphaelem à Lugagnano certum facientes, ab eo divisionem impetrarunt. Dictus enim Rmus. facultate Appostolica ad hoc habita, cum novem assignatis Conventibus suis litteris novam Provinciam erexit sub Titulo Immaculatæ Conceptionis.

3. Motiva, quæ pro divisione allegata sunt, constant ex Patentalibus litteris ipsius Rmi. in quibus sic dicitur: „ Præfata nostra Provincia S. Joseph.... tot „ adhuc Conventibus abundat, ut uno supra quadraginta ad præsens constet. „ Unde fit, quod Minister Provincialis pro explenda eorum visitatione, plura „ centena leucarum conficere cogatur, idque pedibus, uti Seraphica Regula „ præscribit, vix præstare valeat; præsertim cum ad hujusmodi Officium, non „ nisi Viri graves, ætate grandævi, & laboribus fracti, assumi consueverint. „ Quapropter hac nostra ætate quinque in actualitate officij è vivis abierunt, & „ alij absoluto officio, ob infirmitates, eo durante contractas, ad infirmarias impediti, se receperunt, atque paucis ab hinc annis Provincia ita magna, omnibus Provinciæ Patribus orbata remansit.

4. Executio harum litterarum commissa fuit M. Provinciali S. Joseph: qui quidem vigesimam quartam diem Octobris anni 1744. assignando, convocavit omnes à Rmo. P. Generali pro Definitorio novæ Provinciæ electos, eis præcipiens sub obedientia, & majori excomunicatione, ut in die 23. prædicti Mensis concurrerent ad Conventum Conceptionis Oppidi de Baraxas: quod obedientes impleverunt, nescientes finem suæ vocationis. Hora vespertina pervenientes, & adhuc veniente nocte, ad divisionem Provinciæ non fuerunt præventi, præcipue ad Minesteriatum, & Custodiatum electi. Die sequenti valdemane congregatis

 abs-

(1) Plat. in Fedro. *circa princip. bis*: *Qui benè consulere volunt, & intelligere quid illud sit, de quo consulatur.*

absque alia præventione, aut monitione noviter electi, litteris divisionis lectis, ad consentiendum in divisione, suaque officia acceptanda rogati sunt. Restituerunt: tùm, quia gravitas rei majus tempus considerationis postulabat; tùm, quia Provincia nova incompetenti numero, & qualitate Conventuum erigebatur. Quæ resistentia constat ex *Actis* ab ipsis PP. S. Joseph scriptis, & firmatis, in quibus sic dicunt: „ Diòse salida à algunas dificultades, que se ofrecian, assì „ por parte de los nuevamente electos, que yà por su humildad, y yà por el „ amor à la Santa Provincia Madre sentìan apartarse de ella, y reusaban admi„ tir los oficios de Provincial, Difinidores, y Custodio; como por parte de los „ Conventos, que se havian de assignar para Casas de Estudios. Vencieronse „ estas dificultades &c. Sed PP. Provinciæ S. Joseph, præcipue Minister, eos ad dicta sic compellit, ut renuntiationem, præsertim novi Provincialis manuscriptam non admiteret; & eis præcibus importunis, promissisque factis, tàm aliorum Conventuum, quàm auxiliorum, quasi inviti consenserunt, & ad solemnem publicationem erectionis novæ Provinciæ ita celeriter progressi sunt, ut vix integram horam in toto illo actu consumpserint.

5. In cæteris Congregationibus postea habitis novum Definitorium petitionem aliorum Conventuum continuavit, & inter illos unum ex duobus Curiæ Matritensis præcipuè exposcit. Cui petitione PP. S. Joseph aliqualitèr annuerunt, Conventus S. Angeli de Alcalà, S. Didaci del Corral, & S. Petri Baptistæ de Lillo concedentes: nec plura ultra concedere voluerunt. Quare Definitorium novæ Provinciæ destitutum se comperit spe, quam in die erectionis concepit, stando Patrum Provinciæ S. Joseph tunc promissis. Propter hanc rationem omnes officia sua, quæ, ut dictum est, in primo actu acceptare nollebant, coram Ministro Provinciali S. Joseph scriptis deposuerunt, qui respondit, se non habere facultatem admittendi prædictas renuntias. Tunc PP. S. Joseph dixerunt; quod si novum Definitorium non renuntiabat juri ad plures obtinendos Conventus, à concessione trium præfatorum recedebant: at novum Definitorium tali juri renuntiare nolluerunt.

6. Rmo. tamen Patri Generali epistolas miserunt totius facti rationem reddentes, & Rmus. Pater supradictos tres Conventus novæ Provinciæ aggregavit per suas litteras; sed nimis affecit noviter electos, ut à renuntiatione suorum Officiorum cessarent, ut ex ipsis litteris constat, ubi dicitur: *Si... suis officiis renuntiaverint, tenore præsentium eosdem voce activa, & passiva per decenium privamus.* Definitorium rescripsit Rmo. quod Officia acceptabat, sicut prius, sub conditione plurium Conventuum, & ob minas in Virum constantem cadentes.

7. Post hæc sex elapsis mensibus, nova Provincia misit Procuratores, ut in Romana Curia apud præfatum Rmum. Patrem Nost. agerent pro aggregatione aliorum Conventuum; at Rmus. petitioni non annuit; non quia injusta sibi videretur, sed ut fassus est, quia ejus concessio frustranea esset, propter contradictionem PP. S. Joseph, qui favore Regis Catholici impetrato, suam concessionem executioni non essent demandaturi. In hoc statu usque adhuc remanet novæ Provinciæ prætensio. Si ad demostrandam veritatem præfatæ enarrationis autentica instrumenta desiderentur, Minister, & Custos novæ Provinciæ libenter exhibebunt.

§. II.

OSTENDITUR, QUOD DIVISIO PRÆSENS VALIDA, & justa fuit, tàm ex parte authoritatis illam concedentis, quàm ex motivis ad eam allegatis.

8. UT ergo assumptum patefiat, præmittendum est; quod divisio Provinciarum absque solemnitatibus, & prærequisitis injusta est, ut constat *ex Card. Luc. & aliis.* (1) Inter requisita ad rectam alicujus Provinciæ di-

(1) Card. de Luc. *tom.* 14. *de Reg. disc.* 27.

divisionem, præcipua sunt sequentia. *Primum*, ut divisio fiat ex beneplacito Apostolico, omnique requisita facultate. *Secundum*, quod Provincia ita magna sit, ut a suis superioribus commodè visitari, & gubernari nequeat. *Tertium*, quod propter erectionem novæ Provinciæ, antiqua non remaneat depauperata, & insuficiens. *Quartum*, quod in divisione æquitas, & æqualitas servetur, ut ipsa natura divisionis requirit. *Quintum*, quod in erectione novæ Provinciæ interveniat consensus omnium interesse habentium. *Sextum*, quod nova Provincia exigatur cum sufficienti numero Conventuum, ut commode stare posit, habeatque neccessarios Religiosos ad suum rectum gubernium idoneos. *Septimum*, quod novæ Provinciæ asignetur Conventus Capitalis pro curia Ministri Provincialis, suique Deffinitorij, inquo posint sustentari, juditiumque exercere.

9 Ex his prærequisitis desumenda sunt argumenta ad omnia, quæ in hac Demonstratione veniunt tractanda. Quoad primum ergo requisitum, fatendum est, quod in præsenti verificatum fuit: nam ut constat ex ipsis litteris Rmi. Ministri Generalis, ei specialiter concessa fuit facultas Apostolica ad Provincias dividendas, facta à N. SS. P. Benedicto XIV. in Bulla incipiente: *Dilecte Fili*, sub die 16 Julij anni 1744. Quæ quidem facultas ita est ampla, ut non solùm concedat M. Generali posse Provincias dividere, sed etiam per se ipsum facere, quod per Constitutiones Apostolicas, vel Ordinis Generali M. de jure communi est prohibitum, & tantum Generali Capitulo concessum. Unde licet ad Provincias dividendas statuta requirant Capituli Generalis consensum, in præsenti divisione minimè fuit requisitus.

10 Quod secundum requisitum in hac divisione interfuit, constat ex motivis allegatis à PP. Provinciæ S. Joseph, relatis in litteris Rmi. Generalis, & jam supra positis num. 3. Tertium requisitum etiam adest in præsenti divisione. Certum enim est, quod Provincia antiqua post divisionem non remansit depauperata, imo adhuc remanet valde sufficiens; licet aliqui Conventus amplius dismembrentur, & novæ Provinciæ addantur, ut æquitas poscit; viginti enim Conventus sufficiunt ad competentem, & decoratam Provinciam; maxime ubi sunt (sicut in Provincia antiqua) aliqui magnopere qualificati, ut Conventus Regalis S. Ægidij curiæ Matritensis, Conventus Toletanæ Civitatis, & alij. Ita N. Montalvus affirmans (2) Provincias ad suum bonum regimen non excessuras fuisse numerum viginti Conventuum. Ergo licet aliqui Conventus, & inter eos S. Bernardini Matritensis dismembrarentur ab antiqua Provincia, remaneret adhuc dignificata, & abundans, quia illi restare possent viginti quatuor, vel viginti quinque, & in illis aliqui specialiter qualificati.

11 Hoc amplius patet ex communi motivo divisionis Provinciarum. Semper enim regimen commodius Provinciarum in prospectu habuerunt capitula, & Pontifices in divisione: quia post hanc, Provinciæ antiquæ remanentes cum paucioribus Conventibus, etiam commodiores ad bonum suum regimen remanebant. Ita Clemens VIII. in Bull. cum sicuti. Dat. 10. Mart. 1594. pro confirmatione Provinciæ S. Pauli, quæ divisa fuit ab ipsa Provincia S. Joseph: ait enim Pontifex: *Reliquis viginti duo pro eadem Provincia S. Joseph remanentibus; profecto sine aliqua dubitatione commodius visitarentur respectivè, & gubernarentur, & eorum commoditatibus, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus facilius provideretur, & consuleretur*. Ex quibus verbis duo inferuntur: primum est: quod si Provincia S. Joseph remansit sufficiens, & decorata cum viginti duobus Conventibus in divisione Provinciæ S. Pauli, potiùs sufficiens, & dignificata remanebit, non solum ut defacto existit cum viginti novem Conventibus, sed etiam licet tres vel quatuor adhuc dismembrentur. Secundum est: quod si ad commodiorem Gubernationem dictæ Provinciæ benevisum fuit Pontifici, ut in ea solum viginti duo Conventus remanerent, etiam hoc ipsum noster Ordo in conspectu habere debet, non solum ad substinendam divisionem, sed etiam ad aliquos Conventus de novo dismembrandos, & novæ Provinciæ addendos.

§.

(1) *In Gloss. stat. tom. 2. fol. 206.*

§. III.

PROBATUR, DIVISIONEM FUISSE INJUSTAM, PROPTER inæqualem Conventum destributionem, & quia cum dolo, & violentia exequuta fuit.

12 EX quarto requisito ad rectam Provinciarum divisionem, constat, quod debet servari æqualitas, ut ipsa natura divisionis exposcit. In præsenti divisione certè adfuit inæqualitas. Ex dictis supra *in facti* relatione num. 3. constat, quod cum Provincia S. Joseph quadraginta, & unum Conventus haberet, novem solummodo seggregati fuerunt ad novæ Provinciæ erectionem; etsi postea alij tres ei fuerint concessi. Hìc parvus numerus Conventuum demonstrat divisionis inæqualitatem, cum antiqua Provincia novam excedat in numero decem, & septem. Etiam reperitur excessus in qualitate Conventuum; cum aggregati novæ Provinciæ valde pauperes sint respectu eorum, qui in antiqua remanserunt. Hoc notum est omnibus; quia de facto in Conventibus S. Ægidij, S. Bernardini, & alijs tribus ex præcipuis S. Joseph, major numerus Religiosorum commorantur, & ex consuetis eleëmosinis aluntur, quam in duodecim Conventibus, quos nova Provincia habet.

13 Ut ergo prædictum requisitum observetur, expedit, ut Patres Provinciæ S. Joseph, alios Conventus de novo dismembrari concedant. Debent enim consentiri bene fieri, quod ab ipsis non fuit recte factum, & potest emmendari. Qui vult antecedes, consequens velle necesse est; præcipue quando utrunque ab ejus voluntate pendet: (3) ut de facto in præsenti accidit, quia divisio Provinciæ à PP. S. Joseph fuit liberè prætensa, & ab eis pro nova Provincia numerus Conventuum asignatus, ut patet ex *Actis* ab ipsis scriptis; & firmatis. Rmus. enim Minist. Gen. divisionem *Sic* non disposuit, sed prædictis PP. petentibus annuit. Ex quo constat, quod PP. S. Joseph ad æqualitatem requisitam servandam, alios de novo Conventus concedere tenentur, utpote quid consequens ad rectam divisionem. (4)

14 Causa prædictæ inæqualitatis absdubio fuit, quia PP. S. Joseph Provinciæ divisionem ad suum libitum disposuerunt, præhabita cognitione, quod omnes ipsi in antiqua Provincia erant remansuri; & quod Provincia nova non ad suum, sed ad aliorum domicilium erigebatur. Fuerunt enim judices in causa propria; quare mirum non est æquitatem in divisione non servasse. Certè hoc non accidisset, si dispositio juris observata fuisset. In divisione Episcopatuum, & Provinciarum recte jus disposuit, ut ad vitandas discordias, antiquior Episcoporum divisionem faceret, & postea novus Episcopus eligeret libere unam ex duabus Ecclesijs: quia si dividens pro suo libito eligeret, iniquè ab eo divisio fieret. Hanc formam dividendi diposuerunt SS. PP. præcipuæ Augustinus, & Ambrosius. Sanctns Augustinus, (5) sic ait: *Quando terrenorum aliquid partiendum est, major dividat, & minor eligat.* Et Sanctus Ambrosius (6) sic dicit: *Firmior dividat, infirmior eligat, ne habeat, quod conquæratur. Electionis enim suæ partem non poterit calumniari: non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi.* Certe enim si in præsenti divisione præfata dispositio juris servata fuisset, PP. S. Joseph Provinciæ novæ erectionem ad æqualitatem cum antiqua disposuissent. Utpote nescientes quam Provinciam ex duabus novus Minister Provincialis, PP. que sui Deffinitorij erant electuri. Ex prædicto jnre patet, quod si PP. S Joseph nequeunt concedere alios de novo Conventus, justum erat, ut Deffinitorium Generale eos cogeret ad commorandum in parva nova Provincia, & quod hujus Patribus daretur optio eligendi antiquam.

15 Quod erectio novæ Provinciæ cum dolo exequuta sit, patet ex dictis supra in *Facti* relatione, & ex alijs instrumentis Rmo. Deffinitorio Generali in casu necessario præseutandis. *Primo* enim constat ex eo, quod PP. S. Joseph ita divisionem

(3) Card. Tusc. *tom. 2. conc.* 757. (4) Card. Luc. *tom. 3. de præmin. disc.* 5.
(5) D. Aug. *lib. 16. de civ. Dei cap.* 20. (6) Div. Ambros. *lib. 1. de Abraham. cap.* 3.

sionem decreverunt, ut consensum Provinciæ non peterent; imo unus ex actuali Diffinitorio prætensionis novæ Provinciæ totaliter extitit ignarus; nempe electus in Provincialem Primum illius. Cum ergo Patres antiquæ, & novæ Provinciæ talem erectionem nescirent, consequens est defectus quinti requisiti ex supra dictis; scilicet, quod interveniat consensus omnium inter esse habentium. *Secundo*, quia electi pro primo Deffinitorio convocati fuerunt sub præcepto Obedientiæ, & censuris, illis finis convocationis ignotus, & usque ad ipsum actum erectionis Provinciæ non patefactus. Certè ergo PP. S. Joseph divisionem sigillaverunt, non solum, ut extranei suum non impedirent effectum, sicut in *Actis* ab ipsis firmatis fatentur; sed etiam ne Diffinitorium novum, si maturam deliberationem prehaberet, illam resisteret. *Tertio* Constat ex relatione solemnitatis erectionis Provinciæ, ubi PP. S. Joseph afirmant, prius Missam de Spiritu S. decantatam fuisse; cum hoc falsum sit, ut PP. novi Deffinitorij depositione jurata testificantur. Absdubio in hoc dissimulare voluerunt celeritatem intempestivam, qua erectio fuit exequuta; cum verum sit, PP. novi Deffinitorij valde mane, absque alia solemnitate prævia, aut monitione, fuisse ad congregationem convocatos. *Quarto* prædictorum PP. S. Joseph dolosa simulatio patet ex ipsius erectionis narratione. Inquiunt enim, quod PP. primi Deffinirij officia aceptare renuebant propter suam humilitatem; cum motivum resistendi divisioni aliud non fuisset, quam parvus numerus Conventuum novæ Provinciæ asignatus.

16 Similiter ex dictis infertur violentia PP. primi Deffinitorij facta, ob præfatam sigillationem, & erectionis celeritatem; maximè cum talis congregatio in spatio unius horæ absoluta fuerit. Vix enim littere Rmi. Generalis fuerunt publicatæ, quando PP. S. Joseph, jam promissione Conventuum, jam aliorum auxiliorum sponsione, jam denique importunis repetitis rogationibus, ita ad aceptanda officia novum Deffinitorium coegerunt, ut nullam eorum excussationem, admitentes & renunciationem, præcipuè novi Provincialis manuscriptam aceptare nolentes ad Ecclesiam pergerent, eosque in suis respectivis officijs Provincialis S. Joseph confirmaret. Amplius constat hæc violentia ex jam dicendis.

17 Cum ergo 5 PP. novi Deffinitorij viderent, longius tempus ad deliberandum eis non concedi, prout licuit, & locum dedit celeritas actus, protestati fuerunt, consensum non præstare, quo minus divisio aliter, & juxta æquitatem non fieret. Licet hæc protestatio fuerit verbalis, sufficienter comprobatur ex relatione à *PP*. S. Joseph scripta, & firmata, ubi dicunt: „ Diose salida à algunas dificultades, que se ofrecieron, assi por parte de los nuevamente electos: : : como por parte de los Conventos, que se habian de asignar para casas de estudios. Hæc dificultas ex parte electorum alia non fuit, quam nolle consentiri erectioni Provinciæ novæ cum parvo numero Conventuum: & dificultas ex parte Conventuum studiorum, quia ex asignatis unicus tantum erat aptus ad studia, cum in Provincia antiqua plures remanerent. Constat etiam talis protestatio ex cæteris sequutis congregationibus: cum enim in prima Conventum Complutensem *P*atres S. Joseph concessissent, & in secunda tantum alios duos, scilicet, Conv. Oppid. del Corral, & Lillo, novum Deffinitorium itteratis vicibus pro aggregatione aliorum Conventuum reclamarunt, præcipuè pro Conventu S. Bernardini Matritensis: quos non solum *P*atres prædicti renuerunt jam concedere, sed tertiam congregationem, in Conventu de Baraxas habitam, dimidiatam relinquerunt, & per quindecim dies alia celebrata non fuit, ut novum Deffinitorium iterum non clamaret.

18 *P*ropter eundem finem *P*rovincialis S. Joseph utrumque Deffinitorium ad Conventuum S. Ægidij missit, ipso in præfato Conventu vano prætextu remanente, quoadusque novum Deffinitorium illum monuit per Epistolas, ut determinatio Rmi. Generalis, pro congregationibus primo mense habendis, impleretur. In congregatione proxima *PP*. novæ *P*rovinciæ, cum eis Conventus sufficientes non concederentur in scriptis officijs suis renunciaverunt: & Rmo. M. Generali totius *Facti* relationem misserunt. Tunc Rmo. tres præfatos Conventus, & non amplius concessit, minis eos afficiens, si amplius renunciarent. *P*ropter quod novum Deffinitorium prædicto Ro. inter alia, hæc rescripsit: „ Aceptamos de nuebo nuestros oficios, pero nuestra aceptacion nueba es con la condicion, que la hicimos al principio

 cipio

,, cipio: : : de que se han de agregar mas, y mejores Conventos, &c. Post hoc nova Provicia Procuratores ad Romam missit, ut Rmus. dignaretur alios concenere Conventus.

19. Quare si juxta Reg. Juris: (7) *Dolis, ac fraudibus modis omnibus occurrendum*; in casu præsenti justum est, ut Rmum. Definitorium Gener. remedia juris applicet ad subsanandum defectum in erectione commissum, PP. novæ Provinciæ, & non antiquæ favendo, secundum illam Reg. Juris: (8) *Neminem ex suo dolo, seu calliditate relevari.* Præcipuè cum PP. Provinciæ novæ sufficienter de dolo, violentia, & parvo numero Conventuum protestati fuerint. Denique constat ex dictis; quod consensus PP. novi Definitorij fuit ferè coactus, imperfectus, & conditionatus: qui rescindi debet, conditione non sequuta.

§. IV.

JUSTITIA NOVÆ PROVINCIÆ PRO AGGREGATIONE aliorum Conventuum demonstratur.

20. Ex prærequisito *sexto* supradicto, patet quod, ut erectio novæ Provinciæ justa sit, fieri debet cum sufficienti numero Conventuum ad ejus debitam commoditatem; & ut in ea sint Religiosi necessarii ad gubernium idonei. Ratio hujus requisiti est: quia ubi est sufficiens numerus Conventuum, & Religiosorum, ibi magis viget observantia disciplinæ regularis, adsuntque Viri litterati, & exemplares ad Prælaturas, aliaque munera obeunda. Hanc rationem semper in prospectu habuit noster Seraphicus Ordo, dum parvas Provincias constanter renuit, ut patet ex decisionibus Capitularibus. In Cap. Gen. Rom. anni 1723. (1) decretum est circa Custodiam Transilvaniæ sic: *Non posse in Provinciam erigi utpotè ad id opportuno Conventuum numero destitutam.* Ex simili motivo idem Capitulum negavit, Custodiam Lotaringiæ erigi in Provinciam. Hoc amplius patet ex Statuto Cap. Victor. (2) anni 1694. ubi sic dicitur: *Decernitur ut... Provincia, quæ de novo erigi prætendatur, habeat adminus Viginti Conventus, inter quos sint aliqui ad primum, & secundum Novitiatum, aliqui ad recollectionem, & saltem tres Artium, & Theologiæ &c.* Nec obstat dicere præfatum Statutum in praxi non esse, ut declaratum fuit à N. R. P. Ministro Gen. per suas litteras sub die 25. Decembris anni 1744. Nam semper manet firma ratio motiva prædicti Statuti: scilicèt, ut nova Provincia erigatur cum tali numero Conventuum, & ita qualificatis, ut capaces sint ad sustinenda Studia, & Novitiatus, ut ait N. Montalvus in Glos. dicti Statuti, (3) his verbis: *Cujus Statuti observantia valde confert ad regularem disciplinam; Provincia enim, quæ sufficienti numero, & convenienti qualitate Conventuum non gaudet, ad munera regularia complenda, plura incommoda experiri videtur; nec ad observantiam regularem opportunitatem habere potest.*

21. In casu præsentis divisionis numerus Conventuum assignatus non est sufficiens ad prædicta. Licèt enim nova Provincia de præsenti duo Artium Studia, duoquè Theologiæ habeat, hoc tamen est cum assignatorum Conventuum maxima penuria. Hæc incommoditas facilè probatur ex ipsa praxi antiquæ Provinciæ: cum ergo tempore divisionis ad talia Studia octo haberet Conventus destinatos, & præteritis annis eos augeret; numquam ad hoc assignavit Conventus, qui novæ Provinciæ aggregati sunt, excepto uno tantum, scilicèt, Conchensi. Ex qua praxi clare infertur, quod Conventus novæ Provinciæ aggregati apti non sunt ad commode Studia habenda: Nam Provincia semper in assignandis Domibus Studiorum respexit ad eorum congruentem eleëmosynarum largitionem. Deficientibus Studiis, competentique numero Conventuum, &

Re-

(7) *Leg.* 1. *ff. de Dolo.* (8) *Leg. Rerum*, §. *Tempus* : : : *in ff.*
(1) *Cap. Gen. Rom. ann.* 1723. (2) *Cap. Gen. Victor. ann.* 1694.
(3) P. Montalv. *in Gloss. tom.* 2. *fol.* 206.

Religiosorum, consequens est, ut etiam deficiant Viri litterati, & idonei ad Prælaturas, aliaque munera obeunda. Ex quo patet indigentia novæ Provinciæ, & quàm juste exposcat aliorum Conventuum aggregationem: maximè cum antiqua adhuc pluribus abundet.

22. Nec contra aliorum Conventuum aggregationem obstat ratio, quæ ex jure allegari potest, & in alijs divisionibus locum habuit; nempè, quod ex aliorum Conventuum aggregatione sequeretur confusio, propter Fratrum ad eleëmosynas petendas quærelas, vel per transitum utriusque Provinciæ Fratrum permixtum ex ipsa Conventuum indistinctione; nam in nostro casu hæc non subsistit ratio. Si enim alij aggregarentur Conventus tam contigui essent, & distincti, sicut priores assignati. Sicut enim nunc Conventus Complutensis tantum distat per tres leucas à Conventu de Paracuellos, qui est antiquæ Provinciæ; & similiter Conventus de Lillo, à Conventu de Tembleque; & hanc proximitatem, inconvenientem non reputaverunt PP. Factores divisionis: ita nec reputari debet inconveniens aliorum Conventuum aggregatio cum æquali, vel majori distantia. Nec sequitur Conventuum indistinctio, aut permixtio: nam ut patet in Geographica descriptione, quæ Rmo. Definitorio Gen. præsens fiet: si Conventus Oppidi de Colmenàr, de Ciempozuelos, & de Ocaña novæ Provinciæ aggregentur æquè impermixti sunt cum cæteris Provinciæ S. Joseph, sicut qui nunc novam Provinciam constituunt.

23. Nec obstat allegatum à PP. S. Joseph pro motivo partiali divisionis, scilicèt, quod Provincia nova potest se extendi per novam Conventuum fundationem; nam fundationes novæ sunt penè impossibiles, tùm propter decretum novissimum Regis fundationum prohibitivum dat. anno 1715. tùm propter repugnantiam Episcoporum, & Supremi Regis Consilij, ut expertum est in prætensa fundatione Oppidi de Sisante: quæ licet commodior appareat ex omnibus, quæ prætendi possunt, propter occurrentes difficultates impedita est. Fundationes ergo oblatæ, quæ in petitione divisionis facta à PP. S. Joseph, referuntur, jam sunt fundationibus aliarum Religionum præocupatæ, ut evenit in Oppidis del *Campillo*, de *Almodovar*, de *Utiel*, &c. Præterquamquod Territorium assignatum novæ Provinciæ valde incommodum est ad novas Fundationes, ob loca arida, montuosa, & sterilia, ut notum est PP. S. Joseph. Additur etiam: Quod divisio fieri non debet Conventuum, qui forte sint fundandi, sed eorum, qui fundati existunt. Præterquamquod si nova Provincia benè stare potest pro nunc, licèt paucos habeat Conventus, quia admittere potest aliorum fundationem, etiam Provincia antiqua, potiori ratione bene consistere potest, & si pauciores retineat; cum oblatas habeat plures fundationes in proprio suo Territorio pingui, ut evenit in Oppidis de *Leganès*, *Xetafe*, *Yevenes*, *Arjete*, *Piedrabuena*, *Sancti Stephani*, quæ non sunt præocupatæ aliarum Religionum fundationibus.

24. Denique: roboratur justitia novæ Provinciæ ex maturo dictamine N. Rmi. P. Commis. Gener. N. Cismontanæ Familiæ Fr. Joannis de la Torre, qui (plenè informatus in cognitione nostræ causæ, & bene instructus in Statutis, & Consuetudinibus ejusdem Familiæ, & de Territorio Provinciæ, Conventuumque situatione, & congrua sustentatione) scribens ad primum novæ Provinciæ Ministrum Provincialem, in Epistola sub data 12. Martij anni 1745. lingua vernacula sic ait: (4) *Recibì las Copias adjuntas de las Cartas, que estan pro Dignitate escritas, y reflexionadas, à las que no se puede justamente satisfacer, por ser tan patentes las razones, y la justicia, que asiste à essa Santa Provincia.* Et infrà prosequitur: *En el Capitulo Generàl se podrà mejor atender à la justicia de essa Santa Provintia. Interin paciencia, y resignacion.* Et in alia Epistola sub die 2. Augusti ejusdem anni, ait: (5) *Esto no obsta, para que yà que se erigiò en Provincia, la concedan los Conventos suficientes, y commodos para serlo.* Nimis esset longum referre judicium simile aliorum, tàm Domesticorum, quàm Exterorum.

25. Probatur etiam exemplaribus, quæ maximam vim præstant, præcipuè si rationibus, & legibus consentanea sunt. (6) Et in dubijs justum est secundum ea

(4) *Epist. Rmi. Commissar.* 12. *Martij* 1745. (5) *Et alia sub* 2. *Augusti* 1745.
(6) Car Tusc. *Prac. conclus.* 548.

ea judicare. (7) Primum sit Divisio Provinciæ S. Pauli, quæ divisa est à Provincia S. Joseph. Hæc ex triginta, & octo Conventibus, quibus constabat, dedit novæ Provinciæ S.Pauli sex decim, (8) & inter illos aliquos bene qualificatos, ut sunt Conventus Salmanticensis, Segoviensis, Abulensis, Zamorensis, & Legionensis: unde cum in præsenti divisione plures Conventus haberet, nempe unum supra quadraginta, non æque processit, nostræ Provinciæ Concepcionis tantum novem Conventus in sua erectione aggregando, & postea solum tres de novo concedendo.

26 Secundum exemplar fit divisio Provinciæ Cartaginensis Regularis Observantiæ, quæ ita ad æqualitatem decreta est, ut totidem Conventus, hospitia, & Monialium Monasteria asignati sint novæ Provinciæ, ac antiquæ, & circa Colegium Immaculatæ Conceptionis Civitatis Murciæ dispositum est, ut utraque Provincia in ipso Collegiales haberet ad æqualitatem. De qua divisione habetur instrumentum authenticum. Tertium exemplar sit divisio Provinciæ S. Antonij; (9) in Regno Portugaliæ Fatrum Minorum Discalceatorum, & erectio novæ Provinciæ Immaculatæ Conceptionis V. Mariæ de la *Beyra* ejusdem Reformationis, in qua asignati fuerunt uniquique Provinciæ tredecim Conventus ad æqualitatem, & eodem modo, quo supra decretum est circa Collegium Coimbricensem.

27 Quartum exemplar fit divisio Provinciæ Poloniæ minoris, quæ depauperata manlit Conventibus in Erectione novæ Provinciæ Lithuaniæ, ita quod in cap. Gen. Valisoletano 1740. num. 28. *Decretum fuit: Vicarius Provincialis, & Custos Provinciæ Poloniæ minoris asserentes eandem Provinciam gravatam remansisse in divisione à Provincia Lithuaniæ, quoad numerum Conventuum: ... qua propter supplicaverunt Deffinitorium Generale, ut alium Conventum viciniorem, ut est Pinicensis, alios que ex Provincia Minoris Poloniæ, & Rusiæ &c.*

28 Quintum exemplar sit divisio Provinciæ Coloniæ, quæ pauciores Conventus retinuit, quàm novæ concessit. *Sic constat* ex Actis cap. Tolos. 1532. (10) ubi sic decernitur; *Aprobat capitulum novam Provinciæ inferioris Alemaniæ Erectionem; quia tamen Provincia Coloniæ, de cujus Conventibus erecta fuit dicta Provincia, pauciores retinuit Conventus, asignantur modo ei tres Fratruum nostrum Conventus, videlicet, Campensis, Laubardensis, & Bolvandensis, cum omnibus Monasterijs sororum in terminis eorumdem trium Conventuum existentibus &c.*

29 Nec obstat contra allegata exempla, quod aliquæ divisiones factæ repeꝛiantur, in quibus pauci Conventus asignati sunt novæ Provinciæ: ut accidit in Erectione Provinciarum S. Didaci Hispalensis, S. Petri & Alcantara Granatensis, S. Paschalis Liciensis; nam prædictæ divisiones plures patiuntur exceptiones. Prima est: quod si novæ Provinciæ pauci sunt concessi Conventus, etiam pauci in antiqua remanserunt; in nostro casu è contra: quia novæ Provinciæ asignati sunt primo novem Conventus, & postea tres, remanentibus adhuc in antiqua viginti novem. Secunda exceptio est: quod aliquando nova Provincia constituta est ex Conventibus valde distantibus à Conventibus Provinciæ antiquæ; quapropter non facile est plures Conventus novæ Provinciæ concedere; in præsenti divisione hæc non militat ratio; cum omnes utriusque Provinciæ Conventus, ita inter se contigui sint, ut aliqui tantum per tres leucas distent ab alijs. Tertia, & præcipua exceptio est, quia aliæ divisiones factæ sunt in Capitulis Provincialibus unanimi omnium consensu, adhuc interessatorum, & scienti, & volenti nulla fit injuria; nostra autem divisio non ita facta est, sed modo supradicto §. 1.

§. V.

PROSEQUITUR ARGUMENTUM PRO CONVENTU S. Bernardini Matritensis.

30 SEptimum ex supra dictis requisitis ad novæ Provinciæ Erectionem, est; ut ei asignetur Conventus Capitalis, in quo commodè Deffinitorium cum Provinciali Ministro commorari possint, congrueque sustentari: & quod talis Conventus ita magnus sit, ut habeat suficientem numerum Religiosorum. Si ergo

(7) D.Thom. 1. 2. quæst. 34. art. 1. (8) Clem. 8. cum *sicuti* 10. *Martij* 1594.
(9) Clem. 8. in Bulla *Nuper* die 24. April. 1705. (10) *Orb. Seraph.* 3. fol. 278.

ergo Sacerdotibus necessarijs caret, consequens est, ut vilescat Dignitas Provinciæ, causæ que recte judicari nequeant à Definitorio; cum ob paupertatem capitalis Conventus teneantur in alijs dispersi habitare. Ita prudentissimè decrevit Pelagius Papa de Divisione Episcopatuum, & de nova Ecclesia Cathedrali: (1) quem sequuntur Canonistæ. Hoc ipsum constat ex varijs N. Ordinis Determinationibus, in quibus asignatur cuilibet Provinciæ Conventus Principalis pro sede Ministri Provincialis, & pro negotiorum expeditione; ut patet ex Orbe Seraphico in locis infra citandis. Insuper que idem constat ex eò, quod jus prohibet alienationem Conventus Principalis cujuslibet Provinciæ: unde signum est quod Provincia suum debet habere Conventum Principalem, & Congruentem.

31 Quod in præsenti divisione non fuisset asignatus novæ Provinciæ Conventus Capitalis, in quo commodè Minister Provincialis suam habeat sedem, & secum aliquos saltem ex Définitoribus, ut expeditio negotiorum Provinciæ requirit, patet: quia Conventus Conchensis pro Capitali asignatus ad hoc insuficiens est, propter paupertatem civitatis, & circumvecini Territorij, valdè infructuosi, ut manifestum est Patribus utriusque Provinciæ, qui sub juramento aliter dicere non possent. Idem que ostendi potest ex computo Eleemosinarum Conventus, & ex numero Religiosorum in eo habitantium, qui communiter ad summum est triginta, ex quibus major pars est Laicorum, & Studentium Philosophorum: qui quidem in alio Conventu vacare Studio non possunt, cum prædictus sit unicus ex asignatis novæ Provinciæ, in quo Provincia indivisa studia habuit, ut expresius supra dictum est num. 21. Ex quo resultat quod numerus Prædicatorum, & Confessorum est parvus; & pro negotijs Conventus agendis insufficiens; præterquamquod deficiunt Cœllæ in quibus habitent, ita quod, studentes bini, & bini pro nunc ex necessitate commorantur.

32 Insuper omnes Religiosi, qui in Conventu Conchensi commorentur, debent esse viri robusti, non debiles Senes; nam omnes necessario cum frequentia per aspera montana gradiuntur, tum causa prædicationis, tum propter Eleemosinas petendas; quæ quidem omnia ita taliter necessaria sunt ad victum Fratrum, quod sine illis quindecim Fratres vix substentari possent in illo. Etiam notari debet quod talis Conventus propter ejus situationem ita frigidus est, quod in eo Senes tempore hiemis, detrimentum magnum salutis experiuntur: & cum Ministri Provinciales, & Deffinitores, ut in plurimum sint ætate grandævi, & laboribus fracti, non decet illos oprimere; imò justitia est quod suffragentur aliquo levamine. Ex quibus omnibus infertur, quod si Conventus hic, qui major est, ad Capitale Provinciæ Conceptionis non deservit, cæteri undecim quos habet, ad hoc omninò inutiles sunt.

33 Provincia S. Joseph præter Conventum Regale S. Ægidij, qui circa centum Religiosis constat, & Regis Patronato gaudet, habet extrà mœnia Matriti Conventum S. Bernardini, ubi quinquaginta Religiosi commode vivere possunt, & sine detrimento Provinciæ S. Joseph aggregari potest Provinciæ Concepcionis; tum quia ad sum Capitale est unice aptum; tum quia alijs suis Conventibus est valde propinquus. In eo substentari valent Religiosi Senes; nam cum ingressus eleëmosinarum à Curia Regali tantummodo pendeat, & ad eas acquirendas Religiosi Laici occupentur, cæteri omnes vacare posunt orationi, studio, reliquis que laboribus propriis Sacerdotum, & Clericorum. Unde sequitur quod nostra supplicatio pro ejus aggregatione, valde necessaria est; & quod Provincia S. Joseph illam concedere, debeat, exposcit æquitas, & clamat justitia.

34 Secundo probatur indigentia, quam habet nova Provincia, ut ei aggregetur Conventus Curiæ Matritensis: quia omnes Conventus novæ Provinciæ asignati, fundati sunt cum dependentia à tali Curia. Aliqui enim ibi suos habent Patronos, alij Sindicum, alij pro Eleemosinis consueverunt recurrere: Provincia que nova ibi Sindicum habet tam Provinciæ, quàm ejus Lanificij. Quod provenit ex eo, quod ob proximitatem Civitatum, & Locorum (in quibus Provincia nova suos habet Conventus) omnes viri valde Divites, & Nobiles habitationem in eis propiam reliquerunt, & nunc in Curia Matritensi commorantur. Ex quo oritur

(1) *Cap. Scitote.* quæst. 3.

 poe-

pœnuria Eleëmosinarum, quæ in tali territorio acquiri possunt, & necessitas recurrendi ad dictam Curiam. Etiam ex hoc resultat, quod prædictæ Civitates, & Oppidi pauperes, & parvæ remanserunt; in eis que defficiunt Officiales, & Officinæ communes; ita ut à tempore erectionis novæ Provinciæ pluriès expertum sit, quod pro omnibus rebus Conventibus necessarijs ad talem Curiam recursum fieri neccesse fuit. Ex quo facile probatur, quam incommode stare potest nova Provincia absque Conventu in dicta Curia Matritensi. Nec valet dicere, quod ad dictam indigentiam suplendam nova Proviucia suum habet ibi procuratorem; nam experientia constat hoc non sufficere; præterquamquod tali procuratori, cæteris que Religiosis, qui ad Matritum pro agendis negotijs transeunt, valde molestum est Domum propriam non habere.

35 Ulterius justitia novæ Provinciæ, ut ei Conventus S. Bernardini concedatur, patet: quia nullus est inconveniens in eo, quod duæ Provinciæ, adhuc ejusdem Familiæ, habeant Conventum in eadem civitate. Hoc constat ex praxi N. Ordinis, qui non tolum sustinuit, sed etiam pluries decrevit sic fieri, ut probatur sequentibus exemplaribus. In civitate Neapolitana duæ Provinciæ Reformatorum Capitales habent Conventus; & etiam duæ Regularis Observantiæ, Principatus, & terræ laboris: ex quibus Provincia nova, quæ est Terræ loboris, in eadem civitate quinque Conventus obtinuit, antiqua unico remanente (2) In Hispali etiam sunt tres Conventus Observantium ad distintas Provincias pertinentes; & in civitate Tolosana duo. Etiam in Ulisiponensi habent Conventns Provinciæ Observantium Portugaliæ, & Algarbiorum; & in eadem civitate, cum Provincia Arrabidæ Discalceatorum Conventum haberet, Provincia S. Antonij ejusdem Instituti voluit fundare, allegans aliorum suorum Conventuum dependentiam à tali curia, & contradictionibus plurimis superatis, de facto fundaverunt. (3) Præterquamquod in ferè omnibus civitatibus Hispaniæ, Italiæ &c. sunt Conventus Capucinorum, Observantium, & Discalceatorum. Si ergo hoc nullum affert inconveniens, ut experientia constat; multo minus, ejudem Familiæ.

36 Quod autem noster Ordo concurrentiam duarum Provinciarum in eadem civitate approbaverit, & decreverit, patet ex sequentibus decisionibus. In Capitulo Romano anni 1700. num. 28. sic decernitur in causa Provinciarum Bosnæ Argentinæ, & S. Ladislai: *In Essek, & Mohaz utraque Provincia possit habere residentias, & Conventum; ita quod in Mohaz, ubi de facto domus ambarum Provinciarum reperiuntur, ambæ subsistant; & in Essek, ubi solummodo habitant Bosnensis Provinciæ Religiosi, & etiam Provincia S. Ladislai Domum, seu residentiam, & Conventum construere possit, & in utroque loco utraque Prouincia habitare, suas respective Domos, residentias, aut Conventus ædificare, ampliare, & sibi stabilire, & retinere, quælibet absque præjuditio alterius possit, & valeat absque ulla alterius contradictione.*

37 In congregatione Toletana anni 1675. circa Provincias Coloniæ, & Saxoniæ S. Crucis in lite super Conventum Embricensem decretum fuit; quod interim à Comissario Delegato plena caperetur informatio, altera pars in eadem civitate etiam fundaret. Sic enim decernitur (4) „ Interea PP. Saxones, si ædificare „ voluerint minime prohibeantur, nec desuper molestari poterunt. Similiter circa Provincias Discalceatorum S. Antonij, & Conceptionis confirmatum fuit à Clemente XI. quod nova Provincia Conceptionis posset fundare Collegium in civitate Coimbricensi, separatum à Collegio Provinciæ S. Antonij (5) sic enim ait: *& quatenus nova Provincia Conceptionis hujusmodi ad eum statum perveniret habendi Collegium separatum, utriusque Provinciæ Superiores interse circa necessarias provisiones concordare curabunt*: Et in eadem Bulla etiam conceditur, quod dictæ duæ Provinciæ habeant simul qualibet Conventum in Loco de Maragnon.

§. VI.

(2) Gonzaga *de or. Ord.* Vers. *Prov. Princ.* (3) Gonzaga cit. *Verb. Prov. S. Antonij.* (4) Orbis Seraph. *tom. 4. fol.* 212. (5) Clem. XI. *in Bull. nuper die* 24. *Ap. anni* 1705.

§. VI.

DEMONSTRATUR, QUOD NON DEBET FIERI REUNIO novæ Provinciæ absque consensu PP. ejusdem, & sine conditionibus justis ab eis proponendis.

38 Ex supra dictis patet, quod ut recta sit divisio Provinciarum, intervenire debet consensus omnium interesse habentium: unde cum de contrarijs idem decidendum sit per oppositum (1) sequitur, quod reunio fieri non debet absque consensu PP. utriusque Provinciæ. Etiam hoc constat ex regula juris: (2) *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Unde injusta esset reunio contra voluntatem, & consensum PP. novæ Provinciæ. Talis consensus requisitus fuit in similibus, ut patet ex varijs Ordinis decisionibus. Duo sequentes sufficiant. In prætensione reunionis novæ Provinciæ S. Crucis Lucensis, responsum fuit à Generali Congressu Capituli anni 1529. (3) in hunc modum: *Quoad reunionem Provinciæ Sanctæ Crucis Lucensis ad Provinciam Tusciæ Florentinæ Decretum est, quod vera, & plenior capiatur informatio, tam ab utriusque Provinciæ Fratibus, quam super beneplacito SS. Domini N. & DD. Florentinorum, atque Lucensium; qua clarificatione habita, provideat Rmus. P. Gen.*

39 Altera decisio constat ex Actis Capituli Valisoletani anni 1740. num. 13. ubi circa Provinciam S. Antonij Liciensis sic decernitur: *Admititur Provincia S. Antonij Liciensis, annis elapsis authoritate Apostolica erecta, ad sufragandum: Quo vero ad Supplicationem pro reunione cum Provincia S. Nicolai, Definitorium Generale permittit, quod ab ipsis ordine servato, exhibeatur pro hoc negotio Supplicatio SS. præhabita concordia utriusque Provinciæ, quæ debent convenire interse, ut exhibeant Supplicationem prædictam.*

40. Altera ratio sumitur ex jure libertatis Fratrum commorantium in nova Provincia: quia si in divisione eis concessa fuit libertas eligendi domicilium, etiam eis debet concedi ad tale domicilium relinquendum. Additur etiam: Quod antiqua Provincia in præsenti tam extranea est Fratribus Novæ, sicut quælibet alia ex Discalceatis; ut constat de facto in transitu cujusdam Fratris de nova ad antiquam Provinciam post expletum semestre, qui legem, & pœnas incorporationis implevit, sicut si esset alterius Provinciæ. Quare, sicut nulla est ratio, ut Fratres Provinciæ v. gr. S. Gabrielis, cogantur ad commorandum in Provincia S. Joseph, similiter, nec ut Fratres Provinciæ Conceptionis constringantur ad antiquam redere.

41. Præfata ratio militat pro Fratribus, qui ante divisionem professi sunt in Provincia S. Joseph, & nunc in Nova commorantur; sed potius militat pro Fratribus in Provincia Conceptionis professis, qui jam ferè tertiam partem novæ Provinciæ complent: respectu quorum valde difficilis est reunio sine illorum justa quærela, cum Provincia S. Joseph sit illis æquè extranea, ac quælibet alia ex Discalceatis. Præterquamquod nova Provincia jam habet constitutiones proprias, quarum aliquæ diversæ sunt à constitutionibus antiquæ: unde nimis amarum, valdeque molestum esset, præcipuè novissimè professis, relinquere leges, & consuetudines, in quibus educati sunt, & ad observationem aliarum obligari.

42. Amplius arguitur ab inconvenientibus, quod reunio non debet fieri, præcipuè absque consensu Patrum novæ Provinciæ. Primum est, quod si reunio fieret, reviverent inconvenientia pro divisione allegata. Provincia enim antiqua itterum eosdem haberet Conventus, in eodemque Territorio extensos: quare eodem modo adesset difficultas boni regiminis Provinciæ, propter ejus amplitudinem, & impossibilitas eam visitandi pedester juxta Regulam, & Apostolica Statuta. Si ergo prædicta vera judicata sunt à PP. S. Joseph, divisionisque necessitatem inducentia, etiam judicari debent, ut motiva reunionem impe-

(1) *Leg. Eum actum, ff. de Negot. gest.* (2) *Leg. fin. C. de Authentico præst.*
(3) Orb. Sereph. *tom.* 3. *fol.* 273.

pedientia. Ex quo infertur, quod si divisio facta fuit ob motiva justa, & in reunione adsunt inconvenientia, potius pro subsistentia novæ Provinciæ decerni debet; at cum conditione, ut debita commoditate constituatur, qualiter jus requirit. (4)

43. Secundum, præcipuumque inconveniens, est: Quia si itterum Fratres novæ Provinciæ cum Fratribus antiquæ cohabitarent, non solum reviverent dissensiones inter oriundos ex territorio de *Alcarria*, & alios, annis elapsis exortæ; sed absdubio, cum præjudicio religiosæ pacis augerentur facta reunione; cum jam partialitatem notam constituerent utriusque Provinciæ Fratres. Omnes enim sentiunt, & profferunt, præcipuum motivum divisionis fuisse, oriundos ex *Alcarria* dismembrare à Provincia S. Joseph: pro quo judicio plura adsunt testimonia. Inter alia sufficiat dicere, quod si PP. S. Joseph, ut in relatione divisionis dicunt, majorem Dei gloriam in conspectu habuerunt; & fraternalem charitatem exercuissent, & commodiorem novam Provinciam pro confratribus absdubio disposuissent. Sed è contra evenit; imò cum Rmus. M. Generalis Conventum S. Joannis Evangelistæ de Colmenarviejo suo placito relinqueret, ut eum novæ Provinciæ aggregarent, si pro bono pacis expediret, illum concedere noluerunt. Similiter, cum Conventui de Alcalà locus de *Arganda* ante divisionem asignatus fuerit, ut ejus eleëmosynis congruam sustentationem haberet; PP. S. Joseph, illicò ac cognoverunt, talem Conventum à Provincia antiqua fuisse dismembratum, ei prædictum locum abstulerunt, & Conventui de *Baraxas* de novo aggregaverunt. Iis, & alijs testimoniis, Fratres novæ Provinciæ in præfato judicio confirmati, testificantur, nullatenus reunionem velle; præsertim absque conditionibus, ad eorum pacem, molestiasque vitandas, requisitis. Sed de hoc posteà expresius dicetur à num. 60.

NOVÆ PROVINCIÆ RESOLUTIO.

44. Ex dictis in progressu hujus Demonstrationis, tria præcipuê inferuntur. *Primum*, quod nova Provincia, utpotè incommode, indebiteque constituta, jus habet ad plures Conventus, & inter illos ad unum ex Curia Matritensi, ut benè consistere posit. *Secundum*, quod reunio fieri non debet absque consensu Patrum utriusque Provinciæ, & præcipuè Novæ; & absque conditionibus prærequisitis ad religiosam pacem servandam. *Tertium*, quod divisio Provinciæ S. Joseph, potius divisio Fratrum fuit, quam Provinciæ novæ erectio; nam penè inviti, & coacti Patres primi Definitorij à Provincia antiqua dismembrati fuerunt, & erectioni novæ assentierunt: unde jus habent petendi reunionem cum justis conditionibus, ut itterum redeant ad Provinciam, in qua jucundè morabantur, & à qua, ut dictum est, coactè emancipati fuerunt. Quibus tamquam certis suppositis, Vocales novæ Provinciæ, in suo Provinciali Capitulo congregati, unanimiter decreverunt: Quod, nec Provinciam cum duodecim tantum Conventibus subsistere, volebant; nec reunionem absque justis conditionibus admittere: Sed firmiter Rmo. Definitorio Generali poscere, ut dignaretur, Provinciam S. Joseph suo Decreto cogere, ut; vel quatuor Conventus, in Memoriali hujus Provinciæ asignatos, concedant; vel reunionem amplectentur cum conditionibus, quæ jam proponuntur.

§. VII.
IN QUO CONDITIONES AD REUNIONEM proponuntur.

PRIMA CONDITIO.

45. „Prima conditio est, quod reunio fiat in Provinciali Capitulo, ad „quod omnes utriusque Provinciæ Vocales cum voce activa, & pas-

(4) Card. de Luc. *tom.* 14. *de Regul. disc.* 27.

„ pasſiva concurrant; & utroque Definitorio vacante, alterum, & unicum ab
„ omnibus, & pro omnibus eligatur. Qui tunc Miniſteriatum explent, per octo
„ Capitulares dies ſuffragio gaudebunt, Patreſque Provinciarum ambarum
„ etiam accedent cum voto in omnibus, quæ ad electiones non pertinent.

46. Ratio hujus conditionis patet à ſimili reunionis Provinciarum Principatus, & Terræ laboris factæ modo præfato. (1) Necnon Provinciarum Tuſciæ, & Florentinæ, pro qua Congregatio Generalis Aracœlitana Anni 1603. ſic ſtatuit: *Decretum eſt conformiter ad facultatem ſuper hoc conceſſa à SS. Clement. VIII. itterum uniri cum Provincia Florentina: qua propter cum merito ſalutaris obedientiæ, Miniſter, Cuſtos, Definitores, Guardiani, & Diſcreti tam Provinciæ Tuſciæ, quàm Florentinæ Capitulum proximè celebrandum in Conventu Senarum adire omnes non deſinant, in quo vota electiua præſtabunt, recipientque concurrentes novæ electionis unius Miniſtri, aliorumque Officialium, &c.* (2) Ex quo faciliter arguitur, ita in præſenti fieri debere juſta Reg. Juris: *Rationis identitas non patitur, deciſionem ſimilium caſuum eſſe diverſam.* (3)

47. Prætereà: talis reunio non eſt propriè unius Provinciæ extinctio, ſed libera æqualis duarum partium unio; quarè non eſt major ratio, ut unum, & non alterum Definitorium vacuum maneat; imó ſuadet ratio, ut alterum de novo á Vocalibus utriuſque Provinciæ eligatur; *quia ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* Ex reg. 9. Juris. Suffragium Ex-Provincialium, & cæterorum utriuſque Provinciæ Patrum concurrentia in negotio tanti ponderis conſentanea ſunt Statutis.

SECUNDA CONDITIO.

48. „ QUod omnes Ex-Provinciales, Ex-Cuſtodes, Ex-Diffinitoreſque
„ Provinciæ Conceptionis gaudeant in Provincia reunita eiſdem
„ præeminentijs, & prærogativis, tùm præcedentiæ, tùm ſubro-
„ gationis, & aliarum, tam de jure, quàm ex conſuetudine; quibus ſimiles Pro-
„ vinciæ S. Joſeph Patres fruuntur: ita ut, qui prius in Provincia Conceptionis
„ electi fuere, præcedere debeant illos, qui poſteà in Provincia S. Joſeph electi
„ ſunt, & è contra; idemque obſervari debeat in cæteris prærogativis. Hoc
„ etiam intelligi debet de præeminentijs conceſsis Ex-Guardianis, Lectoribus,
„ Concionatoribus, aliiſque Religioſis ejuſdem Provinciæ.

49. Juſtitia hujus conditionis conſtat: *Primò*, quia prædicti Patres Provinciæ Conceptionis ritè, & Canonicè electi ſunt: & juſta Statuta gaudent talibus prærogativis; quare poſt reunionem non ſunt illis auferendæ. Juſta reg. 17. in 6. *Indultum à jure beneficium non eſt alicui auferendum.* *Secundò*, quia ratio unionis inter duas partes eam æqualiter liberè admittentes, hoc expoſcit. Si ergo Hoſpitibus, & Incorporatis in aliena Provincia, tales prærogativas non denegant Statuta; amplius concedi debet Patribus liberè unitis; nempè, quod non ſolum illis gaudeant, ſed etiam cum præferentia ad alios reſpectivè poſteà electos. *Tertiò*, quia omnes, qui in ſemextre libertatis domicilium in Provincia Conceptionis elegerunt, admiſsi fuerunt cum prærogativis, quibus in Provincia S. Joſeph fungebantur: quare conſequenter in facto reunionis in Provincia S. Joſeph admitti debent alumni Provinciæ Conceptionis cum præeminentijs, quas in ea ex merito ſunt conſequuti.

TERTIA CONDITIO.

50 „ QUod in Provincia jam Reunita aſignentur duo diſtincta territoria,
„ diviſa per lineam rectam, quæ ab Aquilone ad Meridiem tranſ-
„ verſim tendat; modo, quo Deſcriptio Geographica, quæ præſentatur, oſten-
„ dit. Territorium quod à Matrito verſus Orientem cadit, Territorium de *Al-*
„ *carria* nominari debet, propter ejus principalem partem; in qua tanquam ejus

d ca-

(1) Gonzaga *de Orig. Ordinis.* verb. *Prov. Principatus.* (2) Orb. Seraph. *tom.* 3. *fol.* 585. (3) *In cap. Cum dilecta de Confirm. uti, vel inuti.*

„ caput continetur Matritum, justa plures Geographos, & præcipuè Antonium „ Chiusole in sua novíssima Geographia fol. 35. Alterum Territorium *Toletanum* „ debet appellari, propter ejus præcipuam partem, quæ comprehendit Regnum „ Toleti. Quodlibet Territorium habere debet pro Capitali Conventum unum „ ex duobus Matriti, & constare viginti Conventibus in eo fundatis, ut jam ex- „ primitur.

51 Territorium *Toletanum* habebit viginti sequentes. Conventum Regale S. Ægidij Matritensis, qui est caput Provinciæ. Conventum Toletanum. de Talavera. de Almagro. de Consuegra. de Odòn. de Illescas. de Yepes. de Malagòn. del Moràl. de Puertollano. de Fuensalida. de la Torre. de Santa O alla. de Velada. de la Puente. del Rosario. de Arenas. de Cebreros. & de Cadahalso. Et quia hoc Territorium præcipuum esse debet, propter Conventum Capitale S. Ægidij, Conventus de la Ambrosiana ei adjudicatus maneat, cum quo viginti, & uno Conventibus constabit. At ut suffragia pro utroque Territorio æqualia sint ad evitanda disidia, æqualitatem que in electionibus servandam, vel non habeat suffragium Guardianus dicti Conventus de Ambrosiana, vel concedatur Patri digniori, aut alio Territorij de *Alcarria*.

52 Territorium de *Alcarria* continebit sequentes viginti Conventus. Conventus S. Bernardini Matritensis. Conchensis. Complutensis. de Guadalaxara. de Ciempozuelos. de Ocaña. de Tembleque. de Madridexos. de Lillo del Corral. de Torrejoncillo. de Priego. de Buendia. de Auñon. de Brihuega. de Orche. de Uceda de. Paracuellos. de Baraxas. & de Colmenàr viejo.

53 „ In istis viginti Conventibus habitare tantum modo valeant, qui pro „ nunc Provinciæ Conceptionis sunt Alumni; sed quia eorum numerus insuffi- „ ciens est ad complendum, quem octo Conventus de novo aggregati requirunt; „ & nunc in Provincia S. Joseph per multi sunt Religiosi oriundi ex territorijs, „ vulgo *Guardianias*, prædictorum viginti Conventum, concedatur eis facul- „ tas eligendi domicilium in Territorio de *Alcarria*; qui omnes admiti debeant „ cum omnibus præeminentijs, quibus ad præsens gaudent. Si autem numerus li- „ bere eligentium dictum Territorium non sufficiat, Minister Provincialis, Cus- „ tos, & duo Patres Provinciæ, unus ex uno, & alter ex altero Territorio con- „ gregentur, & servata æqualitate circa idoneos, & non idoneos cujuscumque „ Clasis, ex dictis Oriundis eligant numerum competentem pro exigentia prædic- „ torum Conventuum: & sic electi teneantur obedire. Si autem plures quam ne- „ cessarij petierint similitèr prædicti quatuor Patres seligant, quos viderint expe- „ dire. Et quia Matritum erit Territorium commune, ejus oriundi æquè dividan- „ tur, & idem observari debeant circa natos extra Territorium Provinciæ.

54 „ Eodem modo procedendum est circa receptionem Novitiorum; ita ut „ naturales cujuslibet Territorij in ejus Novitiatibus admittantur; & Matriten- „ ses, Foranei que ad æquitatem recipiantur. Ad hunc effectum in unoquoque „ Territorio duæ permanebunt Domus Novitiatus. Et in quolibet Domus Stu- „ diorum ad æqualitatem distribuentur. Religiosi unius Territorij nullo modo in „ aliud mutari poterunt, sed omnes in suo propio habitabunt, ut jurgia viten- „ tur, & pax Religiosa conservetur.

QUINTA CONDITIO.

55 „ QUod à Capitulo reunionis, & in posterum observetur alternativa „ Officiorum, sub pœna nullitatis electionum: ita, quod in uno „ Capitulo Minister Provincialis, & duo Deffinitores ex Territorio de *Toledo* eli- „ gantur; Custos que & alij duo Deffinitores ex Territorio de *Alcarria*: & è con- „ tra in Capitulo sequenti. Defficiente Ministro Provinciali, Sigilla ad Patrem dig- „ niorem illius Territorij cujus erat Minister defferantur, & Vicarius Provincialis „ ex ipso Territorio eligatur. Quod etiam observari debet circa Commissarium „ Provincialem, Pro-Ministrum, & Custodem. Subrogatio Deffinitoris ad Patrem „ Digniorem Territorij, ex quo erat Deffinitor pertinebit, justa Decretum Capi- „ Mediolanensis anni 1729. num. 44. ubi sic decernitur: *In Provincijs habentibus ex authoritate legitima alternativas, statuitur, ut defficiente in Deffinitorio aliquo*

Pa-

Patre, non subrogetur loco ipsius Pater Dignior Provinciæ; sed dignior illius partis, in qua deffectio accidit. ,, Prædicta distributio circa alia Provinciæ Officia observan-,, da est: ita ut Guardiani, Præsidentes, Lectores, Concionatores Conventuales, ,, Magistrique Novitiorum sint illius Territorij, cujus sunt Conventus, in quibus ,, sua munera exercent.

56 Pro hac, & antecedenti conditione adduci possunt plura exemplaria, tam quoad divisionem Territorij, quam in ordine ad officiorum alternativas. *Primò*: in Ordine nostro stat divisio in duas Familias, Cismontanam, & Ultramontanam cum alternativa Generalatus, & Commissariatus stabilita à Leone X. in Bulla Unionis; & postea ad æqualitatem servandam facta fuerunt statuta pro distributione Deffinitorum Generalium secundum diversas Nationes, & Familias: & similiter decretum fuit quoad Officiales Generales Romanæ Curiæ.

57 *Secundo*: in Provincijs particularibus reperiuntur talis divisio Territorij, & alternativa Officiorum. In Regno Mexicano Custodia S. Joseph unita fuit Custodiæ nominis Jesu, & qualibet suum proprium Territorium divisum servante, alternativa Ministeriatus Provincialis inter illas fuit concordata, & à Capitulo Generali Aquilano 1559. decreta. (1)

58 Similis alternativa reperitur in Provincia S. Bernardini Observantium approbata à Capitulo Generali Mediolanensi, in quo, numer. *64*. sic decernitur: *Præcipitur, ut in suis primævis terminis firma, ac stabilis perseveret.* In sequenti num. idem Capitulum approbat alternativam Provinciæ S. Salvatoris in Ungaria, addens: ut dicta alternativa non tam in electionibus, sed etiam in substitutionibus, & subrogationibus obseruetur. Nec non etiam in pluribus Italiæ Provincijs, tam Observantium, quam Reformatorum idem observatut, ut v. gr. in Provincijs Tusciæ, & Romanæ; prima in quatuor Territoria, seu Custodias, ut vocant, & secunda in tria divisæ, cum officiorum competenti alternativa.

59 Sed præcipua, domestica que exemplaria, cum omnibus circunstantijs in præfatis conditionibus appositis, reperiuntur in tribus Provincijs Discalzeatorum Regni Portugalliæ. *Prima* est Provincia S. Antonij, cujus alternativa cum divisione Territorij approbata fuit à S. Congregatione, & confirmata ab Innocencio XIII. in Bulla sub die 16. Junij anni 1721. incipiente: *Nuper pro parte &c.* (2) *secunda* est Provincia Conceptionis divisa in duo Territoria, scilicet de *Beyra*, & de *Miño*, cum alternativa, & medietate omnium Officiorum, (3) quam confirmavit Clemens XI sub die 25. Februari anni 1719. in Bulla, quæ incipit: *Nuper pro parte, &c.* & moderata à Clemente XII. in Bulla incipiente: *Exponi nobis, &c.* sub die 17. Novembris 1732. *Tertia* denique est Provincia solitudinis cum eisdem conditionibus, confirmata ab Innocencio XI. ut constat ex Decreto S. Congregationis sub die 27. Novembris anni 1716. (4)

60 Ut necessitas stabiliendi, in præsenti casu similem alternavam cum Territorij divisione, & impermixtione, clarè dignoscatur, præmittendum est: quod plurimis ab hinc annis exorta fuit emulatio inter plures ex Territorio de *Alcarria* oriundos, & alios alterius Territorij; quæ originem duxit ab electione succesiva duorum Provincialium ex Territorio de Alcarria. Hæc discordia in dies accrevit, maximè cum vidissent, in isto Territorio plures Religiosos adesse virtute, sapientia, prudentiaque præditos: quare, ut tot viros ab officijs honorificis Provinciæ removerent, plurimi oriundi ex altero Territorio, & laborabant, & laboraverunt usque ad annum 1743. inquo Provincia suum Capitulum celebravit. In hoc Capitulo ita divisi fuerunt animi Vacalium, ut æqualis pars in eligendos oriundos ex *Alcarria*, præcipuè Ministrum, & Custodem constans permaneret. At cum electi evadissent pro altera parte, illicò de divisione Provinciæ cogitantes, illam à Rmo. P. Ministro Generali impetrarunt. Motiva allegata justa fuerunt; sed præcipuum fuit specie honoris è medio tollere prædictos vulgò *Alcarreños*, ut in posterum suum Gubernium absque contradictione stabilirent.

61 Veritas expositæ æmulationis Fratribus utriusque Provinciæ nota est; sicut etiam motivum divisionis fuisse præfatum. Quod etiam ostenditur ex asignatione Territorij, & electione primi Definitorij novæ Provinciæ: nam Territorium asig-

(1) *Chronolog. Seraph. anno* 1559. (2) *Bull. Disc.* Tom. 3. fol. 212.
(3) *Idem* Tom. 5. fol. 700. & tom. 4. fol. 79. (4) *Idem* tom. 5. fol. 504.

asignatum tantum fuit, quod strictè *Alcarria* vocatur; & omnes electi pro tali Definitorio ex eodem Territorio oriundi: talitèr, ut Minister Provincialis, & custos ipsi fuerint, qui in præfato Capitulo pro eisdem muneribus competentiam habuerunt. Post divisionem vero hæc discordia ita incrementum habuit, ut ad præsens alumni hujus Provinciæ valde sint exasperati, ob plura, quæ propter verba, Scriptaque Fratrum alterius partis passi sunt, quæ non decet Admodùm Venerabili Definitorio Generali refferre. Quapropter plures vocifferatur potius ad extraneam Provinciam transire velle, quam ad Provinciam S. Joseph redire, nisi reunio fiat cum Territorij impermixtione, & officiorum alternativa. Si aliter reunio fieret, pro certo habent, quod honorifica Officia illis non sunt conferenda, jam ob pluritatem suffragiorum alterius partis; jam propter contradictionem, quæ post divisionem inter Oriundos utriusque Territorij absdubio perpetuo est duratura.

62 Ex dictis patet neccesitas adstruendi inter Fratres unius, & alterius Territorij Officiorum alternativam cum Fratrum impermixtione: nam ut constat ex confirmatione alternativæ in Provincijs supra relatis, motivum impulsivum eam stabiliendi, fuit consulere bono pacis, & discordias inter Fratres diversi Territorij vitare. Sufficiat adducere verba contenta in Bulla Innocencij XIII. supra citata, ubi num. 1. dicitur: *Exposito quod ipsi pro bono pacis, & pacifico ejusdem Provinciæ regimine, alternativam Officiorum in ea cum divisione Territorij stabilire plurimum desiderabant.* &c. Et quidem justisimè, *Cum pax* juxta Apostolum *sit bonum, quod exuperat omnem sensum*, & per maximè in Religiosis Personis ad sui status conservationem, & perfectionem necessarium: sicut è contra discordia valde dedeceat, & noceat; si enim à Reipublicis discordiæ removendæ sunt, justa Regul. Juris: (1) *Discordiarum occasiones penitùs removendas*; potiùs tantum damnum à Religiosorum Provincijs arcendum est.

63 Nunc sic: in reunione Provinciæ Conceptionis cum Provincia S. Joseph certo secutura est discordia inter oriúdos ex uno, & altero Territorio, ut ex supra ennarratis constat: unde necesse est reunionem fieri cum Territorij relata divisione, Fratrum impermixrione, & alternativa Officiorum, ut pax religiosa conservetur, amor proximorum adinvicem in omnibus fulgeat, sæcularesque propter discordias Fratrum scandalum non patiantur.

64 Ultra duodecim Conventus, quibus nunc constat Provincia Conceptionis, etiam poscitur aggregatio aliorum usque ad medietatem; quia alias non posset observari justitia distributiva ad æqualitatem inter utriusque Territorij Patres; nec aliter vinci possunt plures dificultates, quæ ex inæqualitate sufragiorum oriuntur, Qua de causa in Provincijs Discalceatorum Regni Portugaliæ non solum divisa fuerunt Territoria in duas partes æquales, sed etiam tali distributione facta, de novo aliqui Conventus ex una ad aliam partem aggregati sunt, ut tam in numero, quam in qualitate omnimoda servaretur æqualitas,

65 Æqualitas sufragiorum in casu reunionis, & alternativæ prædictæ tanti ponderis est, ut in Provincia Conceptionis de Beyra statutum fuit, (2) quod si in uno Territorio aliquis Conventus de novo erigeretur, ejus Guardianus careret suffragio, quoadusque in altero alius fundaretur: & in Provincia S. Antonij in dispari numero Conventuum, decretum fuit, quod Secretarius Provinciæ in Capitulo sufragium præstaret, donec in utroque Territorio Conventus æquales essent.

66. Quod autem unum ex duobus Conventibus Matriti debeat cuilibet Territorio asignari, patet: *Primo*, propter rationes suprà à numer. 30. positas. *Secundo*, quia in casu reunionis utriusque Territorij Fratres æque Filij sunt Provinciæ reunitæ: unde æquale jus habent ad emolumentum, quod ex Regali Curia cæteris Conventibus resultat. *Tertio*, quia tales Conventus sunt principaliores Provinciæ, quare æqum est ut unus cuique Territorio tamquam Capitalis, seu principalis asignetur. *Quarto* denique, quia Matritum debet esse Territorium commune, cum linea quæ dividit talia Territoria ad æqualitatem, per medium illius transeat, ut in Geographica descriptione ostenditur: unde necesse est, quod etiam tales Conventus dividantur.

(1) Leg. *æquissimum in ff. de usuffructu.* (2) Bullar. Discal. *tom.* 3. & 5. *supra citat.*

QUIN-

QUINTA CONDITIO.

67. „Quod in Capitulis præter dicta in conditionibus antecedentibus, „si opus sit, Statuta fiant pro majori pace, alternativæque „Observantia. Constitutiones verò, quæ tam ab una, quàm ab altera Provin- „cia post divisionem fuerunt factæ, observari debeant in respectivo Territo- „rio, usque ad Secundum Capitulum, in quo proponantur, & ad pluralitatem „suffragiorum per tria succesiva Capitula, justa morem, tamquam leges susci- „piantur; & tunc pro universa Provincia Constitutiones efformentur.

SEXTA CONDITIO.

68. „Quod sententiæ latæ ab utroque Definitorio contra Delinquentes „validæ maneant, sicut & suffragiorum Patentes, aliæque gratiæ „fortè concessæ. Prædictæ sententiæ cum cæteris Libris, Protocolis, Registris, „& Scripturis Provinciæ Conceptionis in Archivio Conventus principalis Terri- „torij de *Alcarria* asserventur, cujus claves erunt apud tres digniores Patres talis „Torritorij. Lanifficium veto, quod nunc habet Provincia Conceptionis in „Conventu Oppidi de *Bribuega*, permaneat; sed Provincia addat fundos ne- „cessarios justa numernm Conventuum, qui huic Territorio usque ad medieta- „tem aggregantur.

69. Quod attinet ad asservationem sententiarum, scripturarum, aliorumque Librorum Provinciæ Conceptionis, rationabile omnino videtur: tùm ad perpetuam divisionis memoriam; tùm ad conficiendam in posterum historiam Provinciæ ex veris, & authenticis instrumentis. Pro Lanifficii prædicti subsistentia, sufficit allegare, quod in pluribus Provincijs sunt distincta Lanifficia juxta distincta Territoria ejusdemmet Provinciæ. Præterquam, quod contrarium cederet in præjudicium nostræ altisimæ Paupertatis, propter dispendium, quod ex destructione talis Lanifficij necessario sequæretur.

SEPTIMA, ET ULTIMA CONDITIO.

70. „Quod in posterum, sub pœna nullitatis, numquam divisio Pro- „vinciæ fiat, absque consensu majoris partis Vocalium in Capi- „tulo Provinciali; & tunc casus fiat ad æqualitatem juxta utriusque Territorij „divisionem; ita quod Territorium de *Alcarria* sit nova Provincia cum titulo „tamèn antiquo *Provinciæ Conceptionis*. Si autem aliquis ausus fuerit aliter divi- „sionem attentare, subjaceat pœnis inflictis à Congregatione Generali Asisij „celebrata anno 1526. (1) in qua sic decernitur: *De cætero Fratres non præsumant attentare divisionem Provinciarum, nec per Provisiones Apostolicas, nec per medium Personarum Secularium: quodsi contra hoc aliquod fuerit attentatum; attentator ipse à Provincia expelatur, & in Provincia illa, pro cujus divisione laboraverit, non posit eligi in Ministrum Provincialem per spatium triginta annorum.*

Oramus, ut in adjutorium hujus Provinciæ, tamquam ejus Immaculata Patrona, intendat B. Dei Genitrix Maria, per quam *Legum Conditores justa decernunt:: & potentes decernunt justitiam.* Prov. 8.

(1) Chronolog. *fol.* 256.